



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 16. Pibraci oratio ad Synodi Patres.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

stitutiones, & decreta, secundum pu-  
 ram doctrinam, & ea, quæ non solum  
 pertinent ad Ecclesiæ Gallicanæ, sed  
 Ecclesiæ Universalis utilitatem, Se-  
 ctarum, & controversiarum, quæ sunt  
 hodie in Religione, conciliationem,  
 exaltationem, & propagationem no-  
 minis Dei, & in universam Salutem  
 Reipublicæ Christianæ, necnon ad mu-  
 nus, & officium oratorum, juxta man-  
 data, quæ illis dedimus. Et quoniam il-  
 lorum fidem, & industriam perspectam,  
 & cognitam habemus, rogamus, vos  
 Sanctissimi Patres, ut æquo animo  
 eos admittatis, attenteque, quod illi  
 vobis nostro nomine exponent, au-  
 diatis, eandemque illis, quam nobis,  
 si istic essemus, fidem detis: Deus vos  
 Sanctissimi Patres, pro sua gratia, &  
 præsidio tueatur. Datæ Parisiis duo-  
 decima Aprilis, Anno millesimo quin-  
 gentesimo sexagesimo secundo.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1562.

§. XVI.

*Pibraci oratio ad Synodi Patres.*

Perlectis hisce literis Pibracus nomine  
 Regis Patres his verbis alloqueba-  
 tur. *Rex noster nulla in re magis unquam  
 putavit sibi esse elaborandum, nihilque vehe-  
 mentius contendit, quam ut opportuno loco,  
 & libero, neque conventuris infido, justa*  
 C 5

*Labb. l. c.  
 Mem. pag.  
 192.  
 Pallav. n. 31  
 Et 4.  
 Thu. l. 32.  
 quæ-*

Sæcul. XVI. quædam Synodus cogeret, & Sacrosan-  
 A. C. 1562. Etum Concilium convocaretur.

*Act. du Con- inde a primo aditu, & ingressu Principa-  
 cil. de Trent. tus sui: hæc quoque apud Pontificem non  
 1562. & semel acta, ut cernitis, si aliud profecto  
 1563. p. 15. nihil, Christianissimi tamen Regis de publica  
 pace constituenda curam, de sarcienda inter  
 omnes ordines concordia sollicitudinem, de  
 sanandis Ecclesiæ vulneribus sententiam, at-  
 que iudicium cuius facile probatura sunt,  
 grata quidem, ni fallor, hominum recorda-  
 tione cum laude ad omnem posteritatis me-  
 moriam pervenient: neque vero solus Pon-  
 tificex de Concilio a nobis sæpe interpella-  
 tus est, sed etiam Ferdinandus invictissimus,  
 & Augustissimus Imperator, Philippus quo-  
 que Hispaniarum Rex maximus, atque adeo  
 omnes Europæ Christiani Principes, &  
 Republicæ omnes, omnes, inquam, Reges,  
 ut ad rem præstantissimam, & utilissimam,  
 tam necessario tempore animum adjicerent,  
 ad constituendam scilicet unanimum de Re-  
 ligione consensionem, & restinguenda Ec-  
 clesiæ incendia, continuis legationibus, quo-  
 tidianis precibus, quanta fieri potuit, ma-  
 xima obtestatione sæpe sumus cohortati.*

*Magna ergo, Patres amplissimi, & in-  
 credibilis est expectatio, quam de se hic  
 Sanctissimus Conventus, & confessus vester  
 in animis mortalium concitavit. Non lo-  
 quor ad gratiam, neque enim debeo, nec  
 eos*

eos unquam viros bonos putavi, qui ad Sæcul. XVI.  
 istas artes essent eruditi, sed quod in laudi- A.C. 1562.  
 bus vestris verissimum esse censeo, id quomi-  
 nus eloquar, pudore, & verecundia vestra  
 minime debeo prohiberi: pergam igitur, ut  
 cœpi, dicere. Præclarum est, & pœne di-  
 vinum, quod a vobis exspectant homines:  
 sic enim existimant, vos eos esse, qui non  
 vestris quidem, id est, humanis viribus, sed  
 afflatis Spiritu divino, per Jesum Christum,  
 Religionem nostram tot in eam investis opi-  
 nionibus sauciam rescire & recreare, qui  
 Ecclesiam Dei per hosce quinquaginta annos  
 contrariarum opinionum, quasi ventorum  
 tempestate jactatam, in portu collocare, qui  
 denique in his pugnantium inter se doctri-  
 narum fluctibus statuere optime possitis, quid  
 dignitas Ecclesiæ, & quid ipsa temporum  
 ratio postulet.

Equidem humana imbecillitate fortasse,  
 & aliqua Præfectorum Ecclesiæ incuria, vel  
 etiam, ne quid gravius dicam, præpostera  
 pietate irrepsisse in Ecclesiam res nonnullas,  
 antiquatione, abrogatione, vel moderatio-  
 ne dignas, fateamur necesse est: sed quem-  
 admodum ii homines comprimendi, mihi sem-  
 per visi sunt, qui arbitrato suo, vel potius  
 libidine, sine auctoritate, sine ullo decreto,  
 cæremoniarum omnem penitus rationem, quæ  
 ipsa comes est, & administra Religionis,  
 convellentes, atque ob id in pacata republica  
 tumultuantes, impium quemdam cultum, ri-  
 tusque

Sæcul. XVI. A. C. 1562. *tusque novos induxerunt, sic contra a nobis peccari fortasse potest, dum omnia, quæ sæculis muniuntur, & longa vetustate, mordicus retinenda esse putamus, neque satis spectamus, quid inclinatio rerum, quid momenta temporum, quid publica quies postulet: nonnulla, atque haud scio, an verius dixerim, multa communi concordia permitienda sunt, neque quisquam a dignitate sua, vel constantia alienum putare debet, aliquid alteri condonare potius, quam obstinatione rectæ sententiæ, tantam inter Christianos dissensionem alere. Sed vos, quam de mitigandis iis, quæ citra Religionem inoleverunt, controversiis curam, & cogitationem suscepistis, eandem nisi re perfecta, & absoluta nunquam abjiciatis.*

*Hæc spes reliqua nobis est, quæ bonorum mentes hominum, cogitationesque sustentat: pugnabit, scio, perpetuus ille humani generis hostis, nihilque non aget, ut vos a cepto opere deterreat, ut hos vestros ad rem omnium præstantissimam, & sanctissimam impetus frangat, ut honestos eludat conatus vestros, ut avocet, ut abducatur vos ab instituto, ab officio: dissidiis quippe, ac divortiiis nostris, quibus exedimur, & extabescimus, ille alitur, ille pascitur, velut suavissimo cibo: egregius præterea scelerum artifex est, est & optimorum interturbator consiliorum. Quoties, quæso, ita vobis obloquetur? heu stultos, & frustra susceptos*

ptos labores! quid aliud tot maris, terræ-  
 que spatia emensi, præter invidiam, & Sæcul. XIV.  
 paupertatem domum reportabitis? quo rui- A.C. 1562.  
 tis nunc præcipites? quid aliud hic agitis,  
 quam ut revocata, quæ pœne sepulta jace-  
 bat, prisca illa, & rigida Patrum disci-  
 plina, minus posthac laute, minus beate,  
 minus feliciter, minusque tranquille vitam  
 degatis in otio? Ne in Principum scilicet  
 aulas liceat penetrare, ne splendide epulari,  
 ne magnifice habitare, ne regio comitatu,  
 & ornatu incedere, ne iis denique frui vo-  
 luptatibus, quæ suavissimæ sunt, sine qui-  
 bus vita omnis, & ingrata, & inju-  
 cunda solet esse. Ergo parvo conten-  
 tos vivere posthac oportebit? ergo unum  
 Sacerdotio tanquam scopulo affixos inhæ-  
 rere? monendo, suadendo, largiendo, alie-  
 nis semper inservire commodis? quid con-  
 tionari de loco superiore? quid meditan-  
 tes tam cito senescere? quid curis, & vi-  
 giliis absumpto corpore in ipso ætatis flore  
 immatura morte concidere? Hæc aguntur  
 per vos sedulo, hæc acerbæ vitæ, mune-  
 rumque vestrorum officia, obsoleta illa qui-  
 dem, & antiquata, atque extincta prorsus,  
 vos renovare, vos e tenebris eruere, & in  
 lucem revocare quæritis stulti, & nesci  
 bonorum vestrorum.

Recognoscitis, arbitror, Patres, tum  
 exprobrationes, tum illecebras, quibus ad-  
 versarius noster specie recti se insinuat in  
 animos

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

animos nostros, quem si benigni semel audieritis, si splendore falsi boni objecto, aciem ingenii vestri perstringi patiamini, si quid denique plus apud vos valet, quam publica utilitas, prædico, & prænuntio vobis, nihil agetis, susceptum onus, aut perfide abjicietis, aut propter animi imbecillitatem deponetis: spem, quæ extrema nobis pendet, falleret: Conciliorum denique dignitatem, & auctoritatem, quæ initio nascentis Ecclesie magna fuit, & bene constituta republica maxime futura est, in posterum omnem elevabitur.

Nostra, Patrumque nostrorum, & avorum memoria Synodos indictas fuisse, Episcopos convenisse, maximos in Germania, atque in Italia conventus peractos esse scimus: vix tamen ullus, aut perexiguus inde fructus Christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores, ventosque colligere: hæc prætermittere certe non possum, quod vereor, ne nimis ad rem pertineat, minus legitima, minusve libera fuisse dicuntur illa Concilia: qui aderant, ad voluntatem alterius semper loquebantur, aut potius annuebant: qua re nulla in judiciis perniciosior, nullave capitalior esse potest. Vos quotquot in Dei nomine huc convenistis, non deliberantium modo, sed judicantium personam geritis, statuendi, diffiniendi, decernendi, Spiritu divino suggerente, jus, facultatem, & potestatem sine  
ulla

ulla exceptione habetis: hanc facultatem, & Sæcul. XVI  
 libertatem divinitus vobis concessam, ex o- A.C. 1562.  
 ptima, & veteri illa disciplina Concilio-  
 rum, Carolus Rex noster, vel suo solus pe-  
 riculo, si ita sit necesse, sartam, & tectam  
 ordini vestro conservabit: in eam enim caus-  
 sam potissimum hæc legatio decreta est: quod-  
 si in privatarum rerum judiciis, de fundo,  
 & fillicidio ubi agitur, sententiam suam  
 ad alicujus gratiam accomodare turpe haberi  
 debet, & severissimis legibus nostris vindi-  
 catur, quoniam, quæso, supplicii genere  
 digni sunt, qui de rebus divinis conscripti  
 judices, dignitatis parum memores, in-  
 tensendo vel auram captant popularem, vel  
 principibus, quibus obnoxii sunt, turpiter  
 se venditant, vel ex aliorum dictatis, &  
 perscriptis, togata tanquam mancipia, sen-  
 tentiam ferunt? æternis certe tenebris, &  
 vinculis leves isti, & nummarii judices man-  
 dandi sunt.

Hanc querelam habuit ætas Superior,  
 ne idem quoque posteri, qui incorrupte ju-  
 dicaturi sunt, de vobis existiment, & lo-  
 quantur, magnopere est providendum, at-  
 que etiam ut tuti apud homines esse possitis,  
 apud Deum immortalem qui poteritis esse?  
 qualis enim quisque sit, quid agat, quid in  
 se admittat, de cælo intuetur, cernit cupidi-  
 tates nostras, & cogitationes omnes, videt,  
 quid in calculo ponendo spectemus, quid in  
 suffragiis, & sententiis sequamur: num  
 taci-



Sæcul. XVI. A.C. 1562. *tacitis, & compressis labiis ardeamus, num  
adulemur, num gloriæ cupiditate efferamur,  
num contentionis studio nimio præsentem,  
& oblatam veritatem recusemus accipere,  
num levissimas delectationes gravissimæ utili-  
tati anteponamus, num aberremus, & hal-  
lucinemur prudentes, scientesque, num de-  
nique Imperatorum, aut Pontificum, aut  
Regum liberalitates erga nos turpissimo ob-  
sequii genere, gratioso scilicet calculo, &  
judiciariis tabellis provocare, atque elicere  
cupiamus. Quod si quid ejusmodi in his  
conventibus peccetur, quamquam secus exci-  
simamus, freti vestra bonitate, ac pietate,  
si peccetur tamen, nihil est præterea, quo  
confugere possimus: mihi hercle omnia jam  
addicta devastationi videntur esse. Utinam  
longe a veritate, a conjectura certe non mul-  
tum aberrabo: ruet dissidiis Christiana ci-  
vitas, ardentem, & flagrantem intestinis  
bellis cernemus Europam, civilis ferri, aut  
subeunda nobis erit crudelitas, aut saltem  
funerum patricæ spectatores cogemur esse, a  
quorum causa belli fortuna steterit, ab iis  
stabimus omnes: quæ mihi profecto tam vi-  
dentur esse misera, & miseranda, ut ad eo-  
rum cogitationem totus perhorrescam.*

*Quam ob rem excitemini Patres, &  
incumbite in eam curam dies, noctesque, ut  
hoc, quod ægrotæ, ac prope desperatæ Rei-  
publicæ Christianæ unicum remedium est,  
non frustra exoptatum a nobis, non temere*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

a vobis adhibitum esse videatur; Et cum ex  
 nonnullorum fortasse conciliorum invidia  
 hæc Synodus laboret, curate, ut omnes  
 intelligant abiisse illud tempus, mutatam  
 esse rationem, patere nunc aditum unicui-  
 que ad disputandum, non flammis hic di-  
 sceptari, non fidem frangi, non agi præju-  
 diciis, veritatis disceptationem integram esse:  
 quippe cum una, eademque semper sit veri-  
 tas, ex omni æternitate fluens, Spiritum  
 Sanctum hic adesse, præsidere, illius deni-  
 que instinctu, Et afflatu de publica utilitate  
 agi, de pacificatione communi, necnon Ec-  
 clesiæ totius conciliatione, Et restituenda  
 vetere ejus disciplina hic tractari rite, le-  
 gitimeque. Operæ pretium est, Patres, ut  
 rem ita se habere intelligant, Et animorum  
 vestrorum contentiones huc sciant pertinere:  
 ad hanc quippe famam maxima illa, Et no-  
 bilissima Europæ pars Germania, pro qua  
 potissimum laboratur, velut e somno exci-  
 tata, conveniet, legatos mittet, aderit hic  
 vobiscum, suos de Religione sensus expo-  
 net familiariter, suosque intimos nudabit do-  
 lores: sic denique contrariis opinionibus jam  
 dissecta, Et divulsa, atque ob id ad omnes  
 externas, Et suas quoque injurias opportuna  
 Christianitas in unum tanquam corpus coa-  
 leschet. Erit terra labii unius, Et cordis  
 unius, ut quidam ait: equidem hanc volup-  
 tatem, quæ incredibilis est, jam nunc mihi  
 spe, Et cogitatione lubet præsumere: juvat  
 Hist. Eccles. Tom. XLV. D ocu-

Sæcul. XVI  
A. C. 1562.

oculis mentis intueri idem sentientes omnes Christianos, idem credentes, idem sperantes, eodem charitatis igne accensos, quam sane conjunctionem, & divinam animorum conpirationem, vis nulla posthac reperietur, quæ perfringere, aut labefactare possit.

Ut autem, Patres, quod suscepistis, non mediocre munus alacriori animo conficiatis, Carolum Christianissimum Regem Francorum, quando is nos suæ voluit esse nuntios, & interpretes voluntatis, ad omnes conatus socium fidelissimum, & adiutorem fortissimum vobis futurum spondemus, ac religiose promittimus. Quem vero laudatorem actionum vestrarum, & assertorem acerrimum perpetuo habebitis, eundem hic testem, & spectatorem eratis habituri, nisi tenella ætas, insolens laborum, atque itinerum molestia prohibuisset, aut potius nisi civilis tumultus terrores eum in Gallia necessario retinuissent. Sed quod ille coram studiose facturus erat, ut se, suaque omnia ultro vobis offerret, id nos, ut diligenter, atque officiose curaremus, præcepit: & cum ex auctoritate sua aliquid accessionis ad id, quod per vos agitur, fieri posse consideret, iussit, mandavitque, ut idipsum significaremus, cum magna testificatione singularis suæ erga vos benevolentiae, erga ordinem vestrum voluntatis, atque observantiae, erga Rempublicam Christianam studii, pro quibus omnibus non fortunas modo, & facultates,

tates, sed etiam vitam, & Sanguinem, si opus sit, cupiat effundere.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Hæc Pibraci oratio non omnibus Synodi Patribus probabatur, quinimo Gallica hæc libertas, qua plura effutiebatur, nonnullis displicuit, ac præcipue Hispani in eo vehementissime redarguebant, quod hic Orator temerarie asserere non erubuerit, Synodum sub Paulo III. & Julio III. dissolutam fuisse, quin tamen quicquam bonum statuisset, aut prout in aliis exemplaribus legitur, quin aliquid memoratu dignum gessisset.

§. XVII.

*Propositiones Legatis a Franciæ Oratoribus factæ.*

Altera die Franciæ Oratores accesserunt Papæ Legatos, quibus hæc exponebant: „Reverendissimi, atque „Illustrissimi Præsides: duo sunt præcipue, quæ vobis proponere tenemur, „& quidem primo Franciæ Episcoporum „absentiam excusamus: secundum autem caput respicit nomen huic Concilio tribuendum: porro quod primum „articulum spectat, legitima hujus absentiae causa sunt tumultus, qui circa „Religionem fuerunt exorti; non enim „Episcopi iter aggredientur, nisi prius „hæ turbæ fuerint sedatæ, quod tamen brevi eventurum speramus: al-

Act. du  
Concil. t. c.  
Mem. p. 199.